

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 93

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Omnium Christi nostrique fidelium tam futurorum quam praesentium sollers industria noverit, qualiter nos ob remedium animae pii genitoris nostri Chvonradi imperatoris et ob iuge et nobis fidele servitium venerabilis abbatis Meginheri sanctae Herveldensis aecclisiae et ob assiduum orationem monachorum ibidem deo servientium beneficium, quod felicis memoriae pater noster inde ablatum comiti Ottoni tradidit, post obitum Hirmingardae comitissae praedicto abbati et fratribus regali nostra munificencia remisimus atque tradidimus, ea videlicet ratione, ut praefatus abbas fratresque inibi deo famulantes liberam dehinc potestatem habeant de eodem beneficio obtinendi tradendi commutandi precariandi vel quicquid illis placuerit inde faciendi. Et ut haec nostrae concessionis auctoritas stabilis et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam sigilli nostri iussimus impressione signiri. Adelgerus cancellarius vice Bardonis archicarii recognovi. Data non. ian. anno dominicae incarnationis MXLIII, indictione XI, anno autem domni Heinrici tercii ordinationis eius XV, regni vero IIII ; actum Goslar; in dei nomine feliciter amen.